

Joannes Beier Sihisio - Hennebergico - Francus, meus proavus, rei equestri in aula et Sihisiana Principis Hennebergici, et Crannichfeldensi Comitis Gleichensis, operam dedit. Uxorem duxit tum primam Virginem Martham Funckin, Joannis Funcii civis Crannichfeldensis filiam A. C. 1512 matrem mei avi Adriani Beiers, in puerperio A. C. 1515 defunctam, tum secundam Margaretam Franckin, 1516. Ipsemet obiit 1549.

Adrianus Beier Crannichfeldâ - Thuringus, meus avus, matre sua in puerperio A. C. 1515 demortua, a capra, quam domi aluit eius parens, lactatur. Infantulum illa adeo amavit, ut a pascuis redux eundem omnibus in angulis inquireret, nec prius inquisitioni finem imponeret, quam inveniret, et utraque invento alternatim praeberet ubera. (Also auch eine kleine Familienlegende; beinahe die säugende Wölfin!) A noverca octennis paternis expulsus penatibus atque a Iusto de Schöla in Delgstet hereditario, Nobili Schwartzburgico susceptus, in Stabulis educatur, ac in equorum tersione et rectione informatur. Bona dimissus gratia forestarium et venatorem simul agit cum duodecennium apud D. Guntherum Comitem de Schwartzburg, tum ad obitum usque suum apud N. Guilielmum â Witzleben, aulae Schwartzburgensi Praefectum et dominatus Berkensis possessorem. Vitae caducae pausam fecit A. C. 1566. d. 24 Aug. relicta vidua Ammaleia, Thomae Steinmeÿers balneatoris in Berka oppidulo Vinariae vicino (Berka ist also bereits Badeort), filia, ductâ A. C. 1537, defuncta A. C. 1591 d. 16 Aug.

Christianus Beier Berckâ - Thuringus, meus pater: nascitur A. C. 1539. 23 Decembr. Calligraphiae et Arithmeticae discendae a teneris, quod dicitur, unguiculis imbutus et elegans evasit scriba, cuius tabulae multifariae exaratae cum literis tum coloribus, etiamnum extant passim in aularum cancellariis, et in civitatum curiis, Vinariae inprimis et Jenae, uti dixi tom. 3 l. 3 c. 22. Bercka, sua patria, et Vinaria, in qua municipale ius postmodum A. C. 1570 obtinuit, relicta Glaucham venit A. C. 1560 et in ea non solum annos 50 vixit civis, bonis acceptus omnibus et carus, sed aliquamdiu fisco ecclesiastico praefectus, annonaeque et iudicii in